



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXVI. De irregularitate Clerici furem suarum rerum Judici
denuntiantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LXVI.

De irregularitate Clerici furem suarum rerum Judici denuntiantis.

FAustinus Parochus ex cujusdam personæ ægrotantis visitatione sub noctem domum redux advertit duos fures in ipsius cubiculum irrepsisse, advocat proin excitato clamore domesticos in auxilium, qui illicò accurrentes furem unum per murum descendentem plumbea sclopeti glande trajiciunt, altero fuga dilapso, quem cum Parochus de facie satis novisset, eum præmissa debita protestatione Judici denuntiat, & pro rebus sibi ablatiis satisfactionem petit, qui furem paulò post captum, & ad se adductum, cum eum plurium gravium furtorum reum invenisset, morti adjudicat.

QUÆR. I. An Parochus absque periculo irregularitatis possit furem, seu raptorem suarum rerum Judici denuntiare præmissa protestatione, etiamsi ex qualitate delicti sciat, aut prævideat, eum ad mortem condemnatum iri?

QUÆR. II. ique tam in causa propria, quàm aliena?

QUÆR. III. An Clericus excusetur ab irregularitate, si denuntians, aut accusans protestetur solum orationis, & externè, interne autem & in animo contrarium sentiat?

QUÆR. IV. An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, si fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurrentibus, & supervenientibus occidatur?

375 **A**D I. Q. R. Parochum, seu aut etiam Ecclesiæ suæ bonis grave
alium Clericum, aut Reli-
giosum, qui in suis propriis, damnum injuriolè passus est, non
incurrere irregularitatem, si fu-
rem,

Fff 2

rem, seu malefactorem Judici denuntiet, dummodo expressè protestetur, se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem, quamvis ex qualitate criminis timeat, vel sciat, reum à Judice, causa examinata, morti fore adjudicandum. Ita docent Navar. c. 27. num. 213. Covar. in Clement. p. 2. §. 5. Cajetan. 2. 2. q. 33. a. 7. Sotus l. 5. de Just. q. 5. a. 1. Molina D. 8. n. 3. Suarez D. 47. S. 2. Palao de censur. D. 6. p. 14. Bonac. D. 7. q. 4. p. 2. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. aliique.

Ratio petitur ex c. 2. de homicid. in 6. ubi accusantes, seu denuntiantes in causa propria ab irregularitate excusantur, si protestentur expressè, se sanguinis vindictam non postulare, sed satisfactionem, cuius rationem reddens ait: *Alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non audent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi.* Unde meritò hac de causa jus providit, qualiter absque periculo irregularitatis possent contra sic delinquentes insurgere, eosque accusare, seu denuntiare, etiam pro casu, quo prævident, vel sciunt, Judicem occasione hujus, ex Officio movendum ad mortis supplicium inferendum præmissa debita protestatione; aliàs vè Clericis, & Religiosis, eorumque bonis, nisi ejus-

modi media eis supplerent ad furium, ac malefactorum audaciam compescendam.

Notandum tamen hîc est cum Suarez, Palao, Laym. aliisque citt. prædictam protestationem locum habere in actione duntaxat civili, & non in criminali; nam si criminaliter accuses, vel denunties, hac ipsa accusatione protestaris punitionem, & vindictam quærere, ac proinde adjectam protestationem ipso facto destruis & elidis, nec excusaberis ab irregularitate, etsi vindictam petas contra deformationem, quia petita vindicta non est in tua potestate limitare pœnam, sed Judex juxta delicti qualitatem infligere illam debet, & cum sit ad tui instantiam, causa eris deformationis, nihilque tibi proderit protestatio tua, utpote facta contraria.

Quod dictum est de accusante, vel denuntiante dicendum etiam est de clamante, detinente, comprehendente & Judici tradente damnificatorem, ut notant citt. DD. quia hæ actiones sunt media ad præcavendum damnum, vel jam illatum compensandum: ergo quæ ratione licet denuntiare, licet etiam has actiones ponere; nam cui finis permissus est, etiam media ad eum necessaria permissa censentur. Dixi supra in causa propria; unde

Ad

376 Ad 2. Q. R. cum citt. DD. Navar. Covar. Molina, Bonac. Suarez, Palao, Laym. &c. Si accusatio, vel denuntiatio in causa non propria, sed aliena instituat, irregularitatem non evitabis, etiam si protesteris, te criminalem vindictam non intendere, siquidem mortis vel mutilationis supplicium, delicto ita exigente, Judex inflixerit.

Ratio est, quia jus in citt. c. 2. de homicid. speciatim illis succurrere voluit, qui injuriam ad se atinentem in judicio prosequuntur, ut nihil ipsis obesset, etiam si sic occasionem Judici præbeant, sententiam mortis decernendi; hoc autem indultum in causa aliena jus non concessit, sed de aliis, qui in aliena causa accusationem instituunt, jus commune, imponens irregularitatem omnibus cooperatoribus ad mortem, integrum mansit, sicut ex communi docent citt. DD. qui etiam propterea inde inferunt Advocato, & testibus nihil prodesse protestationem, si Judex ex eorum allegationibus ad ferendam mortis sententiam motus fuerit; quia nempe Advocatus & testis non propriam, sed alienam causam prosequuntur. Excipitur tamen casus, quo accusatio, vel denuntiatio alienæ causæ instituitur de crimine pernicioso in futurum pendente, seu ad præcavendum damnum Reipublicæ, vel alterius privatæ personæ, quod aliâ viâ averti nequit; tunc enim non so-

lùm ad cavendum vel avertendum malum proprium, sed etiam alienum Reipublicæ, aut privatæ personæ cuius sine irregularitatis periculo concessum est, damnificatorem accusare, vel denuntiare, ut tenet communis cum citt. DD. quia eo casu non te liberè immisceas causæ sanguinis, sicut se immiscet Judex Officium judicandi assumens, sed lege naturali, vel divina charitatis coactus; non est autem credibile Ecclesiam velle irregularitate afficere actionem jure naturali, vel divino charitatis, debitam: Unde neque tunc opus erit protestatione; cum sit actio suapte natura ab irregularitate exempta, ut cum citatis docet Molina tom. 1. tr. 2. D. 109. & D. citt. n. 9.

Porro accusatio, aut denuntiatio tunc censetur instituta in causa propria, quando est instituta in defensionem, seu reparationem tui honoris, famæ, vel rerum tuarum temporalium, vel parentum, filiorum, fratrum, vel alterius similis consanguinei, item Ecclesiæ tuæ, & domesticorum ita scilicet ut injuria talibus illata per consequens in ipsum etiam conquerentem, seu denuntiantem redundare censetur, prout notant Covar. & Palao cum aliis citt.

Ad 3. Q. an ab irregularitate in- 377
currentia excusetur, qui orete-
nus quidem protestatur, se non
postulare vindictam, seu pœnam

Fff 3 san-

sanguinis, sed satisfactionem, seu compensationem damni dati, quæ tamen protestatio non procedit ex voluntate, ne accusatus occidatur, sed in animo potius contrarium sentit, & intendit?

R. ejusmodi accusantem, seu denuntiantem ab irregularitate exculatum iri modo oretenus, & in foro externo protestetur, adeoque non opus esse, ut protestatio ex animo procedat, sed sufficere, ut evitet irregularitatem, si coram Judice oretenus protestetur, etsi in animo occisionem intendat delicto ita exigente, dummodo exterius intentionem hanc animo conceptam non manifestet. Ita sentiunt Covar. *Clem. citt. si furiosus 2. p. §. 5. n. 2.* Felin. in *C. postulastis de homicid. in fin.* Suarez l. c. Bonac. l. c. Palao l. c. Henriq. l. 14. cap. 11. Avila dub. 9. *Conclus. 3.* Laym. l. c. & alii contra Navar. c. 27. n. 226. & Sylvestr. *V. homicidium 2. q. 8.* Ratio est; quia ex una parte in *citt. cap.* exigitur duntaxat protestatio, nec in eo textu cavetur, hanc protestationem debere ex animo fieri; ex altera parte in foro exteriori, & coram Judice ejusdem est rationis protestatio ficta, & protestatio vera; sicuti ex communiore sententia docet Covar. l. c. cum Suarez & aliis *citt. qui citt. §. 5. n. 1.* etiam notat cum aliis non esse necessarium, ut hæc protestatio simul fiat, cum instituitur accusatio, seu denuntiatio, sed sufficere, si fiat in ipso ju-

dicio, antequam sententia feratur. Econtra verò irregularitatem non evitari, si quis protestationem intermittat, etiamsi interiori animo cupiat, mortem accusato non inferri. Ratio est, quia accusantes de crimine, ob quod accusatus morti adjudicatur, incurrunt excommunicationem, nisi per Canones excipiantur, & excusentur; Canones autem solum excipiunt eum casum, quo quis suam vel suorum injuriam civili accusatione prosequitur, præmissa protestatione, quod poenam sanguinis non postulet, sed damni illati compensationem. Et hinc hæc protestatio non solum Clericis, sed etiam Laicis necessaria est, ut notat Palao l. c. eò quod accusatio per se ad defensionem non tendat, sed ad punitionem; ne tamen ipsa punitio accusatori adscribatur, & fiat irregularis, remedium protestationis est à jure inventum ob rationes supra in *citt. cap. 2.* insinuatæ, & licet in dicto *cap.* fiat tantum mentio de Clericis, id tamen ideò factum, quod Clericos magis dedecet accusatio, quam Laicos, & quod illi absque urgenti ratione causæ sanguinis se immiscere non possint, prout docent Suarez l. c. n. 6. Molina *D. 74. n. 9.* Navar. *cap. 27. n. 213.* & alii.

Ad 4. Q. R. Clericum ita clamantem, aliisque in auxilium vocantem probabilius eo in casu non incurrere irregularitatem, saltem

si periculum non prævidit homicidii à supervenientibus patrandi ejus clamore excitis. Ita Covar. l. c. verſ. *octava*. Avila D. 5. S. 2. *dub.* 15. Palao l. c. §. 2. n. 10. Bonac. l. c. p. 1. n. 18. Laym. l. c. Ratio est; quia eo casu non incurritur irregularitas tanquam ex homicidio casuali culpabili, cum talis Clericus clamando, & homines in auxilium advocando ad res suas liberandas, & defendendas nihil peccaverit, nec culpabilem causam illis dederit, nec ipsum homicidium impedire potuerit, uti ponitur. Neque irregularis esse potest ex defectu perfectæ lenitatis; tum quia fur à concurrentibus occisus est præter, imò contra clamantis intentionem, ac prævisionem, utpote qui res suas recuperare duntaxat voluit, adeoque occisio non est illi adscribenda tanquam causæ morali; tum quia ex defectu lenitatis solum homicidium autoritate publica factum inducit

irregularitatem, ut tenet complurium sententia cum Tambur. l. 10. c. 4. de *Cens.* Palao D. 6. p. 14. La Croix l. 7. n. 70. de *irreg.* Diana tr. 2. p. 11. R. 63. ubi pro hac sententia affert plures, quàm 30. AA. qui docent, neminem ex homicidio fieri irregularem, nisi concurrat ut publicus Justitiæ Minister, sive ad causæ probationem sive ad sententiæ executionem, vel ut privatus injustè & cum peccato. Dixi supra saltem si periculum non prævidit homicidii à concurrentibus committendi; nam si clamans periculum præviderat, licet non ea intentione clamaverit, sed ut res suas recuperaret, eum tamen fore irregularem, docent complures cum Innoc. & Abb. in C. *significasti* 2. de *homicid.* Navar. c. 27. n. 236. Sylvest. V. *homicidium* 3. q. 7. aliisque, de quorum tamen doctrina dubitat, & in contrarium inclinatur Covar. l. c. cum Avila, & aliis citt.

